



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.  
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et  
Decreta**

**Tridentinum <1545-1563, Trient>**

**Coloniae, 1615**

De loco Oratorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42415**

b obedire Præpositis suis: quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient; qui verò contemnunt, Deum ipsum ultorem sentiunt.

**De Indice librorum, & Catechismo, Breuiario, & Missali.**

Sacro sancta Synodus in secunda Sessione, sub sanctissimo Domino nostro Pio IV. celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de varijs censuris, ac libris, vel suspectis, vel pernitiosis, quid factò opus esset, cõsiderarent: atque ad ipsam S. Synodum referrēt: audiens nunc, huic operi ab eis extremam manũ impostam esse: nec tamen, ob librorum varietatē, & multitudinem, distinctē, & commodē possit à S. Synodo dijudicari; præcipit, ut, quidquid ab illis præstitum est, Sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur: ut eius iudicio, atque auctoritate terminetur, & euulgetur. Idemq; de d Catechismo à Patribus, quib. illud mandatum fuerat, & de Missali, & Breuiario fieri mandat.

**De loco Oratorum.**

**D**eclarat sancta Synodus, ex loco assignato Oratoribus, tã Ecclesiasticis, quam secularibus, in sedendo, incedendo, aut quibuscumque alijs actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse præiudicium: sed omnia illorum, & Imperatoris, Regum, Rerum publicarum, ac Principum suorum iura, & prerogatiuas ille-

b c. qui  
luis. 93.  
dif. 1. quis  
frater 7.  
q. 2.  
Luez 10.

c sup. Sef.  
18. in pii.

d Vide  
Sess. 24.  
cap. 27.



sas, & saluas esse, in eodemque statu permanere, prout data præsens Concilium reperiebantur.

De recipiendis, & obseruandis  
Decretis Concilij.

Tanta fuit horum temporum calamitas, & hereticorum inueterata malitia, vt nihil tam clarum in fide nostra asserenda vnquam fuerit, aut tam certò statutū, quod nō humani generis hoste suadēte, illi errore aliquo contaminauerint, ea propter S. Synodus id potissimū curauit, vt præcipuos hereticorum nostri tēporis errores damnaret, & anathematizaret: veramque & Catholicam doctrinā traderet, & doceret, prout damnauit, anathematizauit, & definiuit. Cumque tam diu tot Episcopi ex varijs Christiani orbis prouincijs euocati, sine magna gregis sibi commissi iactura, & vniuersali periculo ab ecclesijs abesse non possint. nec vlla spes restet, hereticos, toties fide etiam publica, quam desiderarunt, inuitatos, & tam diu expectatos, huc amplius aduenturos, ideoque tādē huic sacro Concilio finem imponere necesse sit, superest nūc, vt Principes omnes, quod facit in Domino moneat ad operā suam ita præstādā, vt quæ ab ea decreta sunt, ab hereticis deprauari, aut violari nō permittāt; sed ab his & omnibus deuotè recipiantur, & fideliter obseruentur. Quod si in his recipiēdis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ, declara-